Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis decima quinta Novembris.

M. CLAUDIO QUARTIER, Doctore Medico, Præside.

An in quavis hæmorrhagiâ admovenda naribus astringentia?

SANGUIS, in quo triste jacet hoc vivere nostrum, ex quatuor naturis conflatur, quæ quatuor elementis proportione respondent: hunc, licet indolis adeo diversæ, unus tamen calor producit, quatenus idem calor est princeps naturæ & animæ instrumentum. Quandiu autem sanguis non exuberat, & servat integritatem, tandiu functiones omnes naturales vigent & bellè obeuntur, & ab eo universa penè vitæ commoda prodeunt, ut quo tanquam rore benefico intus corpus perfunditur, quem ut salutare pabulum innumeris particulis affluens, partes magna varietate distinctæ prolectant, eoque gaudent quod sibi familiarius est & magis amicum, sicut stirpes prope infinitæ omnis generis succum, quem naturaliter tellus possidet, sugunt & in sui substantiam commutant. Quoniam vero jecur absque consilio sanguinem conficit, ejusque redundantia nusquam non naturam molestat, quæ tum suis ipsa virtutibus oneratur, suspecta debet habere sua bona quicunque sanguinem aut uberiorem aut ab insito tenore descíscentem in se continet. Et ut natura sibi soli relicta in morbis melancholicis excretionem succi feculenti per hæmorrhoidum vias provocat; sic in πολυαιμίᾳ seu nimiâ sanguinis ubertate, illiusque eversâ temperie, liberalem per nares hæmorrhagiam ciet, quæ etiam aliquando eâ invitâ licet & repugnante cietur: utramque qui supprimere tentat astringentium usu, quæ naribus curat admoveri, graviter peccat in rem ægrotantium, cum ex coactis in angustum sanguinis & spirituum æstuantium copiis, difficillimorum fiat affectuum concursus atque impetus, quos funesta ut plurimùm symptomata consequuntur.

ἉΙΜΟΡΡΑΓΙ'Α κατ' ἐξοχὴν sonat profluvium sanguinis ex iis quæ ad nasi radicem excurrunt vasorum ostiolis: hæc uni homini familiaris est, ut qui sit μεγαλόσπλαγχνος, & erectam figuram sanguinemque spiritibus divitem habeat. Fluoris illius multiplex esse ratio dicitur, pro cujus distinctione tum naturaliter tum criticè tum præter naturam accidit: naturalis cadit in Ephebos, dum veneris capaces vocem incipiunt asperiorem reddere, & identidem per superas eas partes sanguinem excernunt: critica febres ardentes perfectè judicat, cujus beneficio planè consanescunt quæ videbantur lethales, comparatâ scilicet meatuum libertate, hacque datâ viâ vitiosæ materiæ, cujus molestiâ enixè natura studet sese expedire: quæ demùm vi morbi symptomatica dicitur, sæpè summum naturæ impedimentum includit, unaque est effusa & effrenata, quæ modestiæ fines transilientem humorem arguit, nullâ ægrorum levatione, seu potius novâ calamitatum accessione; altera levior est, quæ frequenter denotat irritum naturæ conatum, hæc enim præ sui infirmitate agit, non peragit, incœptat quod non potest perficere, undè substillum illud è naribus sæpissimè symptoma terrificum, malique ominis existimatur, atque omnino damnatur, ut morbi malignitatis ac virium imbecillitatis firmissimum argumentum.

QUEMADMODUM non mirum est disrumpi dolia, quoties nimis implentur, & mustum spiritibus turgidum in iis fervet; sic in sanis & adolescentibus, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, non insolens reseratis narium vasis sanguinem prosilire, quem vix capiunt cum in iis redundat, aut immodicè calet & effervescit, in inflammationibus internis aliisque morbis gravissimis multâ & efferâ bile commistus, aut demum motu morbi vel viscerum ἀτονίᾳ naturæ legibus & imperio refractarius & cedere nescius, quâ datâ portâ ruit; hinc videre est vires corruere, undè fulturam sibi parare solent; sic sanguis jactatus, agitatus, fusus, tenuior magisque biliosus & fluidus evadit, totusque mutatus ab ipso, ad caput rapitur, hujusque fluoris author est, quem sæpè ob illius præsentiam è partibus inferioribus ad superiores translati suffusa rubore facies denuntiat, ex eodem humore partes exquisitissimi sensus divellente dolor capitis maximè circa frontem & tempora prægrandis declarat, necnon venarum repletio & compressio, arteriarum pulsatio, ut & narium titillatio ex sanguine fervidiori & subtiliori per hæc loca sibi viam quærente significare adsolent, quæ symptomata crebrò præcedit atque comitatur distentio hypochondrii dextri, in quo hepar thesaurus humoris gratiosi, αἱματώσεως officina, τῶν φλεϐῶν ῥίζωμα suam habet stationem.

ASTRINGENTIA, quæ Græcis στυπτικὰ, qualiâ vulgo perhibentur plantago, poma mandragoræ, sumach, alumen, radix nigellæ, lapis hæmatites, & pleraque alia, non sunt unius generis & ingenii, nec omnium est una vis æqualis; quædam frigida quâ pollent virtute, alia crassâ & terrenâ substantiâ, qualis in acerbo, austeroque sapore deprehenditur, hæc ex naturâ suâ involuta innatâ vi suos effectus exerunt: Eorum omnium facultas se prodit, dum meatus contrahunt, angustant, occludunt, humoris influxum in partem aliquam prohibent, & intrò remeare cogunt, sicque incensæ partis molestus ardor videtur aliquandò sedari, dolor durus deliniri, abscessus arceri, verum id insidiosè, minusque fausto ut plurimum eventu contingere solet; cum humor iste depravatus, quem bilis æstus concitat, benè penitùs in interiores partes refluens, strages edat acerbiores; vixque præterea sit ullum morbi genus, qui sanguinis exuperantiam aut ejusdem vitiositatem pro parente non agnoscat, qui ut exhauriatur & ad caloris modum revocetur, tum vacuationem, tum purgationem postulat, in hoc salutem positam putes, adeo ut nomen incurrat ἀμεθόδου, & errantis totâ viâ, qui spretis hisce præcipuis adjumentis, in bubonibus, parotidibus, variolis, erysipelatis, & aliis consimilibus, humores incandescentes & ad superficiem corporis irruentes, astringentibus admotis regerere nititur, quos potius illicere atque vi rapere, si tardiùs ferrentur, conduceret.

OBSTUPET hianti ore elementis Medicinæ vixdum imbutus, cum sanguinem è narium vasis erumpentem videt: pro vulgi more hunc ilicò sistendum esse pronuntiat, & in hunc usum quasi novo quodam aucupio, famosum stypticum naribus adhibendum, in quo post habitis cæteris præsidiis omnia putat esse collocanda, parum sollicitus, an natura sit author illius excretionis, an vi & malitiâ morbi proritetur: apud illum novum est sanguinem hunc efferum & catulientem temerè suppressum, modo in viscera irrumpere, modo convulsionem, apoplexiam, aliosque perniciosos affectus parere, qui frequenter ægris commoriuntur, sicut intempestivè facta hæmorrhoidum suppressio, hydropem tabem & aliud quid calamitosum secum importat, quæ convenienter fluentes omnia ferè declinant mala, cerebri, thoracis, hepatis, lienis, atque adeo corporis universi. Salutaris disciplina longè aliam præscribit rationem æquis legibus munitam hæmorrhagiæ curandæ, à quibus discedere piaculum est: quæ naturæ conatum sequitur, ἀπαιδεύτως τὰ δέοντα ποιεύσης, omnino finendam esse decernit, hancque acceptam ferendam ejusdem providentiæ, quæ per cognitas sibi vias sanguini superfluo nec non sibi gravi & morborum plurimorum fomiti copiam facit exeundi: quæ præter naturam est, docet sensim coercendam cordis & hepatis fervore temperando per idoneam victus legem, frictionibus brachiorum & tibiarum, cucurbitulis affixis scapulis & summæ cervici, cæterisque armaturæ quidem levioris auxiliis, verum tanquam palmario præsidio, venæ sectione quantum vires ferent in locis commodis celebrata & multoties repetita, cujus ope præsentissimâ effrenis hujus & commoti succi per nares profluentis motus intercipitur, reprimitur impetus, & alio dato itinere prorsus compescitur, sicque non perversâ curatione, sed multò utiliùs, perfectiùs securiùs prædictâ viâ & ratione plurimum arti consentaneâ hæmorrhagiæ medeberis.

Non ergo in quavis hæmorrhagiâ admovenda naribus astringentia.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Franciscus Afforti.
M. Nicolaus de Jouvanci.
M. Germanus Preaux.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis perpetuò ordinarius.
M. Guillelmus Petit, Serenissimi Delphini Medicus primarius.
M. Rolandus Merlet.
M. Claudius Perraut.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS GOUEL, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S, H. 1685.